

*VII.*

*Q. D. B. V.*

DISPUTATIO IURIDICA

DE

DELICTIS MOLARIBVS  
EORVMQVE POENIS

QVAM

PRAESIDE

CHRISTIANO GOTTLIEB  
HOMMELIO D.

TIT. DE VERB. SIGNIF. ET REGVL. IUR. PROF. PVBL.  
ET FACVLTATIS IURIDICAE  
ASSESSORE

*IN AVDITORIO MAIORI*

DIE XXI. OCTOBR. A. R. S. c15 15 CCLXXIII.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET

AUTOR

FRIDERICVS LVDOVICVS SCHILLING

DRESDENSIS.

VITEMBERGAE

EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIDRICHVS.

jur. civ.

50/11<sup>m</sup>

118

DEIOTIS MORARIS  
ROKVMQVE PORNIS

CHRISTIANO GOTTLIEB  
HOMMELIO D.

IN DER UNIVERSITÄT ZU  
LEIPZIG  
VON  
CHRISTIANO GOTTLIEB  
HOMMELIO  
D.

V I R O  
ILLVSTRI CONSVLTISSIMO  
AMPLISSIMOQVE  
FRIDERICO GVILIELMO  
FERBERO

CONSILIARIO CAMERAE INTERIORI  
*HAS ACADEMICAE DILIGENTIAE PRIMITIAS*  
QVA PAR EST PIETATE

D. D. D.

ETIAM ATQVE ETIAM PRECATVS

V T

QVA PROLIXA VOLVNTATE ME  
FVIT SEMPER PROSECVTVS

ET ME IN POSTERVVM QVOQVE

DIGNETVR

ET RES SPESQVE MEAS OMNES SIBI COMMENDATAS HABEAT

FRIDERICVS LVDOVICVS SCHILLING.

V I R O

ILLUSTRISSIMO

AMPLISSIMO

FRIDERICO GUILIELMO

F E R R E R O

CONSEJARIO CAMERAL INTERIOR

DE LA REAL CAJERNA DE LAS

INDUSTRIAS

ESTADO DE LA

CONSEJERIA


DE LA

DE LA

FRIDERICO GUILIELMO

V I R  
ILLVSTRIS CONSVLTISSIME  
AMPLISSIMEQVE

PATRONE ATQVE AVVNCVLE  
PERSANCTE OBSERVANDE

 *Quod TIBI hoc comparatae  
scientiae specimen dicatum  
volo; facio, ut, nominis  
TVI auctoritate ornatum,  
eo magis splendeat, parsque TVI ho-  
noris in me redundet. Deinde ut  
gratum erga TE animum exponam,  
qui indignum me summa cum indul-  
gentia, summa cum humanitate sem-  
per excepisti. Denique ut in posterum  
quo-*

quoque me **TIBI** commendem, **TUVM**-  
que fauorem ac beneuolentiam mihi  
impense expetam. Faxit **DEVS**  
bonitate optimus potestate maximus,  
ut saluus semper sospesque cum splen-  
didissima gente uiuas, et prospero re-  
rum omnium successu gaudeas. Equi-  
dem sicut nihil prius, nihil antiquius  
propensa **TVA** in me uoluntate ha-  
beo, sic nihil praetermittam pieta-  
tis, quo per omnem uitam **TIBI** me  
obsequio comprobem

**ILLVSTRIS TVI NOMINIS**

*Vitembergae*

XII. KAL. NOVEMBRIS


cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> CC LXXIIII.

OBSTRICTISSIMVM CVLTOREM

FRIDERICVM LVDOVICVM SCHILLING.



DE  
DELICTIS MOLARIBVS  
EORVMQVE POENIS.



§. I.

DE SANCTITATE ET DIVERSITATE MO-  
LARVM APVD VETERES ROMANOS  
QVAEDAM PRAEFANTVR.



ua sanctitate atque inuiolabilitate Eccle-  
sias <sup>a)</sup>, Domicilia Principum <sup>b)</sup>, Ter-  
minos <sup>c)</sup>, Pontes <sup>d)</sup> et Aratra <sup>e)</sup>, ea quo-  
que M O L A S, quae olim pistrina,  
trapeta et molina appellantur, colit,  
veneratur atque munit antiquitas et  
nostra adhuc aetas. Quem ad mo-  
dum ratio fruges terendi, antiquissi-  
mis temporibus simplicissima, dum frumenta siccata in  
pilas i. e. vasa concaua immissa pinsebantur et commi-  
nueban-

A 2

a) Conf. I. H. BOEHMER. *Disp. de Sanctitate Ecclesiarum*, Hal. 1722.

b) I. S. STRYCK. *Disp. de Sanctitate Resident. Hal. 1697.* FRITSCH. *de Palatiis  
et Domibus Dominicis cap. XII.*

c) VLR. OBRECHT. *Disp. de Sacris Terminis*, Arg. 1674.

d) IO. RVD. ENGAV. *Progr. de Regionum Pontium Sanctitate et Iuribus*, Ien. 1736.

e) ALB. PH. FRICK. *Tr. de Aratrorum Sanctitate*, Helmst. 1761.

### III DE DELICTIS MOLARIBVS

nuebantur, *f*), sequiori aevo circum acto per animalium, hominumque laborem lapide frangebantur *g*), et paulo post aquae copia, saxique robore molebantur *h*), ex consilio CERERIS *i*) diuino hominibus dato, vt prisci Romani fabulose enarrant *k*), originem trahit, ita et moletrinae, quamuis saepe simul fuerint ergastula seruorum perditissimorum *l*), et tabernae libidinum, ganearumque *m*) in PROMYLIO Deo, Deaue *n*), ob suauem alimoniam et vt eius fauore fruges feliciter molirentur, et multum farinae dominis proferreretur, in molis collocata suum habuerunt numen tutelare. Nec est dubitandum, quin haec loca, cum religione Deorum consecrata fuerint, iuris in-

uiola-

- 
- f*) Quae molendina vocant pistrina manuarum, trusatilia, L. 26. § 1. D. de instrum. vel instrum. legat. Vocis: *Trapeti*, mentio fit in L. 19. § 2. D. locati. Add. GELLIVS Noct. Attic. L. III. c. 3. SERVIUS ad VIRGIL. Georg. L. I. v. 274. et Aeneid. Lib. I. v. 184. Quamuis nonnulli trusatilia a manuariis distinguant. AGRIC. de Re Metall. VIII. pag. 230. Numerus pistrinorum in vrbe Roma e PANCIROLLI Descript. Urb. Rom. Thef. Graeu. T. III. p. 328. potest colligi.
- g*) Hinc molae iumentariae, asinariae, si quidem et serui in pistrinum detrusi solebant nomine asinorum appellari DEMPSTER. ad ROSINI Ant. Rom. Lib. I. cap. XIII. circa finem.
- h*) L. 4. Cod. Theod. de Canone frumentario vrbis Romae. L. 10. C. Iust. de Aquaeduct. Structura molae tum temporis aquariae docetur a VITRUVIO Architect. Lib. X. c. 10.
- i*) Alii Deae Isidi, Reginae Aegypti, alii Mylantiis Diis apud Rhodios, alii aliis artem, inuentionemque molendi, pinsendique, pagana superstitione et vanorum deorum opinione imbuti tribuunt. Probabilius tamen hanc artem Genti Hebraeae cum POEYD VERGILIO de Rer. Inuentor. Lib. III. cap. 2. adscribendam esse, existimat LEYSER. in Iur. Georg. Lib. III. cap. 15. §. 2. Add. 10. HERING. de Molendinis eorumque Iure Quaest. 2. num. 44. seqq.
- k*) PLINIUS in Histor. Natur. Lib. III. cap. 36. et Lib. VII. cap. 50.
- l*) TERENTIUS in Comoed. Andr. Act. I. Sc. 3. v. 28. Heauton. Act. III. Sc. 2. v. 19. PLAVTUS. Mercat. Act. II. Sc. 3. v. 81. CICERO de Orat. L. I. c. II. PIGNORIUS Tract. de Seruis.
- m*) PLAVT. in Comoed. in Poen. Act. I. Sc. 2. v. 54. vbi: *Pistorum amicae*. PAUL. DIAC. Lib. XIII. c. 2.
- n*) POLLUX Onomast. Lib. VII. cap. 33. Tit. 8. SVIDAS in voce: *προμύλιος θεός*.



uiolabilitate muniuerint et ab iniuria hominum defende-  
rint Romani. Quo pauciora tamen de Delictis circa mo-  
las commissis, eorumque poenis in Iure Romano prostant  
placita, eo plures iura antiqua patria, LL. Imperii et Pro-  
uinciales in Germania hac de re exhibent sanctiones, eo  
grauioribus coercent poenis circa eas delinquentes extra-  
neos, molentes atque molitores. Libellum Academicum  
conscripturus operae pretium et rem lectori non ingrati-  
mo, imo necessariam ac vtilem me facturum arbitror, si DELI-  
CTA MOLARIA, EORVMQVE POENAS, non con-  
tentus legibus seculi nostri, sed et anteriorum placita enar-  
rans, cum id a nemine praestitum sciam, et a plurimis ab-  
hinc annis ex LL. institutisque molaribus, PATRE OPTI-  
MO duce, singulare perceperim oblectamentum, pro insti-  
tuti ratione, breuiter deducam. Ne proposita omnibus  
displiceant, vehementer opto.

## §. II.

DE FVRTO MOLARI, EIVSQVE POENA EX  
LEGIBVS GERMANICIS ANTIQVIS SALICIS,  
BAIVVARIORVM ET WISIGOTHORVM.

Quamuis veteres Germani in latrociniis vicinorum po-  
pulorum, teste IULIO CAESARE <sup>a)</sup> nullam statue-  
rint infamiam, sed ea, iuuentutis exercendae et desidia  
minuendae causa, fieri praedicauerint, furta tamen et rapi-  
nas, sicut in rebus hospitum ac civium <sup>b)</sup> ita et in mo-  
lis praesertim sequiori aevo, quo agriculturae et oecono-  
miae magis studuerunt, quam prioribus seculis <sup>c)</sup>, fue-  
runt detestati, grauibusque coercuerunt poenis. Quem

A 3

ad

---

<sup>a)</sup> De Bello Gallic. Lib. VI. cap. 23.

<sup>b)</sup> HEINECC. in Elem. Iur. German. Lib. II. Tit. XIX. §. 31.

<sup>c)</sup> IUL. CAESAR. de Bello Gallic. Lib. VI. cap. 22. TACITVS de Mo-  
ribus German. cap. 14. et 15.

VI DE DELICTIS MOLARIIVS

ad modum LL. SALICAE omnium, quas Germania vidit, antiquissimae in poenis criminum statuendis praecipue occupantur, ita et furta molendinaria pecuniae iactura, si paupertatem seculi spectamus, satis graui puniuerunt in Tit. XXIII. §. 1. et 2. <sup>d)</sup> hisce: *Si quis ingenuus in MOLINO alieno annonam furauerit, ei, cuius molinus est, DC. Denar. e)* qui faciunt solidos XV. culpabilis iudicetur. *Ei vero, cuius annona est, similiter DC. Den. qui faciunt solidos XV. culpabilis iudicetur, excepto capitale f)* et dilatura g). — *Si quis ferramentum de MOLINO alieno furauerit MDCCC. Denar. qui faciunt solid. XXXXV. culpabilis iudicetur.* Nec minori poena EAEDEM LL. Tit. XI. §. 5. <sup>h)</sup> eum afficiunt, qui feruum molinarium furauerit, cum mulctam MMDCCC. Denar. qui faciunt solid. LXX. decernant. Saliis genti Francorum nobilissimae in puniendis surreptis haud dissimiles fuerunt BAIVVARII, qui, vt impunita maneat male viuendi licentia, non permittunt, sed, vt talis iudex constituatur, qui plus diligit iustitiam, quam pecuniam <sup>i)</sup>, praecipiant, dum in Legibus suis Tit. VIII. cap. II. §. 1. molendinis, cum aequae essent domus publicae ac patentes, eandem inuiolabilitatem ac sanctitatem, qua Ecclesiae et Palatia Ducum gaudent, tribuunt, et ablata mulcta vindi-

<sup>d)</sup> Vid. GEORGISCH in Corp. Iur. Germ. Antiqu. pag. 54.

<sup>e)</sup> Quadraginta Denarii (nummorum argenteorum genus) faciunt solidum aureum Francicum. PIPINVS ET CAROLVS M. 12. Denarios in solidum reddiderunt. Vid. DV FRESNE in Glossar. Med. et Infim. Lat. sub voce: *Denarius*.

<sup>f)</sup> DV FRESNE Glossar. cit. sub voce: *Capitale* docet, significare rem ipsam ablatam, seu eius aestimationem, quae restitui petitur.

<sup>g)</sup> Delaturam s. Dilaturam quidam putant esse pretium delatori constitutum; alii id, quod interest propter dilationem seu moram rei; alii denique sumtus in causae persecutione et delatione, vel actione factos. Conf. DV FRESNE Glossar. cit. sub voce: *Delatura*.

<sup>h)</sup> Vid. GEORGISCH. Corp. Iur. Germ. Antiqu. pag. 34.

<sup>i)</sup> Legi merentur LL. BAIVVAR. Tit. II. cap. 7.

vindicant verbis <sup>k)</sup>: *Si in Ecclesia, vel infra Curtem Ducis, vel in Fabrica, vel in MVLLINO aliquid furauerit, triniungeldo componat, hoc est, ter nouem reddat: quia istae quatuor domus casae publicae sunt, et semper patentes.* Paulo durius animaduenterunt in fures hos LL. WISIGOTHORVM Lib. VII. Tit. II. §. 12. <sup>l)</sup> hac sanctione: *Si quis de molinis aliquid inuolauerit, quod furatum est, restituat, et insuper componat, sicut de aliis furtis lege tenetur, et extra hoc centum flagella suscipiat.*

## §. III.

DE FVRTO MOLARI, EIVSQUE POENA  
EX LL. SAXONICIS ET  
SVEVICIS.

Omnium vero priscarum legum seueritatem in puniendo furto longe superat LEX SAXONVM Tit. III. §. 5 <sup>a)</sup>. *Si in SCREONA <sup>b)</sup> aliquid furauerit, capite puniatur, vt ideo cum WIPPONE <sup>c)</sup> tum temporis crudelissima vocari potuerit.* Quanquam LEIBNITIVS <sup>d)</sup> mores

k) Conf. GEORGISCH. Corp. Iur. Germ. Antiqu. pag. 966. et DV FRESNE Glossar. cit. sub voce: *Triniungeldum.*

l) Conf. GEORGISCH. Corp. Iur. Germ. Antiqu. pag. 2055. Ab his placitis priscis LEGES BVRGVNDIONVM Tit. LXIII. non valde recedunt, dum constituunt, *qui messem in Granariis furatus fuerit, si ingenuus est, trigildum soluat: et mulctam secundum qualitatem personae. Si seruus, dominus pro eo simplum soluat, et seruus CCC. fustium ictus suscipiat.* Omnium vero ridicula et turpis est haec poena, quam furibus conum decreuit LEX BVRGVNDIONVM Tit. X. Additione I: *Si quis canem — praesumserit inuolare, iubemus, vt conuictus coram omni populo posteriora ipsius osculetur.* Vid. GEORGISCH. Libr. cit. pag. 383. et 400.

a) Apud GEORGISCH. Corp. Iur. Germ. pag. 458.

b) Screona receptaculum ad conseruandas res et fruges destinatum. Vid. GAERTNER. ad LL. Sax. pag. 53. seqq.

c) In Vita CONRADI SALICI pag. 430.

d) In Annotat. ad L. Sax. cap. IIII. §. I.

res Saxonum, quibus furta rerum leuissimarum capite ple-  
ctantur, vehementer reprehendat his: *Quid incongruum  
magis quam caballi furtum capite puniri, nobilissimi viri caedem  
pecunia lui? Eant nunc et veteres Germanorum Leges reuocent,  
explosis Romanis, hoc est, a fruge ad glandes reuertantur, nihilo  
tamen secius haec instituta patria ab iniquitatis nota iam  
dudum a CHRISTIANO GODOFR. HOFMANNO e) non  
modo sunt vindicata, sed et coniectura CAR. GVIL. GAERT-  
NERI f), priscos Saxones non tam homicidiis, aliisque cri-  
minibus, quibus mulctae imponebantur pecuniariae, quam  
furtis et rapinis manus commaculasse, cum prudentia Le-  
ges ferendi, qua, crescentibus delictis, exasperandae sunt  
poenae, conciliata. Quo odio Saxones quoque sequiori  
aetate spolia et furta molaria fuerint persecuti, ex eo, cum  
durissimum crurifragii supplicium, vt in sacrilegio, intro-  
duxerint, facile colligi potest. Generalitas vero verborum  
IVRIS PROVINCIALIS SAX. Lib. II. Art. 13. *Alle Mör-  
der, und die den Pflug berauben, oder MÜHLEN, oder Kirchen  
oder Kirchböfe — die soll man radebrechen, haud admittit, vt  
hanc sanctionem seueram cum Glossatore ad eos tantum,  
qui frumenta, non vero alias res, ex mola rapiunt, re-  
stringamus. Errorem tamen in rebus ex mola transferen-  
dis delictum, poenamque excludere, disertis verbis consti-  
tuit IDEM IVS Lib. III. Art. 89. verb. *Wer des andern  
Korn in der MÜHLEN nimbt vor das seine, und belt es offenbar,  
den mag man keiner Dieberey daran beschuldigen. Iura Sueuica  
placitis Saxonis omni fere ex parte hac in re responde-  
re, non est, quod miramur, cum, illa ex his plerumque  
esse exscripta, non absque ratione statuatur g). Interim  
tamen rotam non ob quamlibet contrectationem, sed et  
poenam corporis afflictiuam et extraordinariam obtinuisse,  
clare***


e) In Specim. Coniect. de Orig. LL. Germ. pag. 61.

f) Ad L. Sax. Tit. IIII. §. I. pag. 52

g) Conf. CHR. THOMASIVS in Delin. Hist. Iur. Ciu. Rom. Germ. §. III.

clare, distincteque edocet SPECVLVM SVEVIC. cap. CXIII. §. 4<sup>h)</sup>: *Der in den MÜHLEN stiblet, das fünf Schilling werth ist, den soll man radebrechen, stiblet er dreyer Pfennig werth, man soll ihn zu Haut und Haar schlagen, bey dem Höchsten, das sind 40. Streiche.* Et cap. CLXXV. i) verbis: *MÜHL hat auch besser Recht, denn andere Häuser. Wer in der MÜHLE Korn oder Mehl stiblet vier Pfennig werth, man soll ihm Haut und Haar abschlagen, und stiblet er 4. Schilling werth, und was er anders stiblet den Korn und Mehl, das soll man richten, was hiervor geschrieben ist.* Quem ad modum vero textum IVRIS PROVINCIALIS SAX. Lib. II. Art. 13. ob vocabulum: *Berauben*, non de simplici furto, sed de eo, vbi singularis violentia adhibita fuit, accipit BERGER<sup>k)</sup>, ita et, cum intuitu aratorum ab hac dispositione in CONST. SAX. ELECT. 35. Part. III. recessum fuerit, haud dubitandum, quin idem ratione furtorum in mola ab extraneis perpetratorum, nisi aliud in Legibus Molendinaribus dispositum, sit dicendum, idque mox pro quantitate rerum ablatarum, vt simplex furtum, mox si cum armis, se defendendi gratia, commissum, vt furtum qualificatum, mox si violentia adhibita, vt rapina puniendum<sup>l)</sup>, ita tamen, vt, si hoc delictum cum latrocinio sit coniunctum, poena rotæ aequè dictanda<sup>m)</sup>.

## §. IIII.



h) In EDIT. BERGER. pag. 199.

i) EDIT. BERGER. pag. 291.

k) In Elect. Criminal. cap. II. Membr. I. §. 21.

l) Vide RESCRIPT. SAX. REG. d. d. 27. April. 1762. CONT. COD. AVG. Tom. I. pag. 403.

m) Arg. CONSTIT. ELECT. SAX. 35. Part. III. et CIT. RESCRIPT. de an. 1762.

## §. IIII.

DE INCENDIIS RELIQUISQUE DAMNIS  
IN MOLENDINO COMMISSIS EX LE-  
GIBVS SALICIS, LONGOBARDO-  
RVM, WISIGOTHORVM ET ALE-  
MANNORVM.

Qua feueritate vero antiquum ius domesticum furta molaria vindicat, eadem eos, qui machinas molares violant, corrumpunt, dolo malo comburunt, violenter efringunt, mutatione fossarum et fluminis, aut pali molaris, aut deminutione aquae, aut aliis modis molendinorum possessoribus damnum inferunt, coercet. Cum haec doctrina ex antiquitatum patriarum cognitione singulare capiat incrementum atque insigne decus, non moramur, verba LEGVM SALICARVM Tit. XXIII. §. 3<sup>a</sup>). *Si quis scusam<sup>b</sup>) de farinario alieno ruperit, DC. Denar. qui faciunt solid. XV. culpabilis iudicetur, exhibere.* Nec segniores videmus in mulctando LONGOBARDOS, gentem alias latrociniis, cuiusmodi tum temporis honesta habebantur, assuetam. Etenim eorum REX ROTHAR. IN LL. Lib. I. Tit. XIX. §. 4. et 5. <sup>c</sup>) ita constituit: *Si quis molinum*

a) Vid. GEORGISCH. in Corp. Iur. Germ. pag. 54.

b) Scusa est firmamentum cuiusdam molendini, aut palus defixus in flumine, ut aqua concludatur. DV FRESNE Glossar. Med. et Inf. Latin. sub voce: *Scusa*. Add. 10. GEORG. ECCARD ad L. Salic. pag. 51.

c) GEORGISCH in Corp. Iur. Germ. Antiqu. pag. 966. Mulcta quoque incendium dolosum plectunt LL. ALEMANNORVM Tit. 81. RIPVARIORVM Tit. 6. BAIUVARIORVM Tit. 9. et aliae vid. POLAC. Iurispr. Germ. antiqu. Lib. III. cap. 14. §. 7. seqq.

linum alterius aſto animo incenderit, id eſt voluntarie in triplum eum reſtituat ſub aeſtimatione pretii cum omnibus, quae intus cremata ſunt d). Si quis molinum alterius ſcapellauerit e) aut clauſuram ruperit ſine auctoritate iudicis, componat ſolidos XII. illi, cuius molinum eſſe inuenitur. Et ſi iudicem interpellauerit, et iudex dilatauerit, ipſam cauſam deliberare, aut licentiam dederit aduerſae parti, ipſum molinum euertendi, componat ſolidos XX. in Palatio Regis diſtriſtus ob Stolizaz f). LEGES WISIGOTHORVM g) has temeritates praeter damni reparationem non modo mulctis, ſed et flagellis expiant in Libro VIII. Tit. 4. §. 30. his: Si quis molina violenter effregerit, quod fregit infra XXX. dies reparare cogatur, et inſuper triginta ſolidos cogatur exſoluere. Quodſi infra ſtatutum tempus non reparauerit, alios XXX. ſolidos implere cogatur, et centum inſuper flagella ſuſcipiat. Eadem et de ſtagnis, quae ſunt circa molina concluſiones aquarum, praecipimus cuſtodiſi. Quod ſi ſeruus talia praesumſerit et diſrupta reparet, et centum verberibus ſubiaceat. Sicut vero moletrinis, earumque poſſeſſoribus aliquid detrimenti haud iniungatur, ita e contrario, molendina aedificando, nemini noceatur ex LEGE ALEMANNORVM Tit. 83. §. 1. 2. et 3. h) verb.

B 2

Si

d) Durior eſt antiqua LEX SAXONVM Tit. V. §. 2. vbi: Qui domum alterius, vel noctu, vel interdium, ſuo tantum conſilio, volens incenderit, capite puniatur. Add. GAERTNER. ad L. Sax. cit. pag. 61. In incendiariis dolis, ſeditioſis, famoſisque poenam ignis obtinere apud nos, edocet IVS PROVINC. SAX. Lib. II. Art. 13. NEMESIS CAROL. Art. 125. CONST. ELECT. SAX. 17. Part. IIII. et MANDAT. REG. d. d. 16. Nouembr. 1741.

e) Id eſt, inciderit, fregerit. DV FRESNE Gloſſar. ſub voce: Capulare.

f) DV FRESNE Gloſſar. ſub voce: Stolizaz.

g) GEORGISCH in Corp. Iur. Germ. Antiqu. pag. 2097.

h) GEORGISCH. Libr. cit. pag. 232.

*Si quis mulinum, aut qualemcunque clausuram in aqua facere voluerit, sic faciat, ut nemini noceat. Si autem nocuerit, rumpatur, usque dum non noceat. Si ambae ripae suae sunt, licentiam habeat. Si autem una alterius est, aut roget, aut comparet. Si quis aliquam clausuram in aqua fecerit, et ipsa aqua inflauerit, et ibi alicuius pecus negauerit, vel famulus, vel infans, quicquid ibi negauerit, simile restituat, unumque secundum legem suam componat.*

## §. V.

MOLENDINA NON ERANT VIOLANDA EO TEMPORE, QVO IN GERMANIA DIFFIDATIONES ADHVC  
OBTINEBANT.

Cum maiores nostri bellicae admodum essent indolis <sup>a)</sup>, atque ius in viribus haberent <sup>b)</sup>, vt SENECA <sup>c)</sup> iam de illis: *Quid Germanis animosus, quid armorum cupidus, quibus innascuntur, innutriunturque, quorum vna illis cura est, alia negligentibus?* dixerit, medio aeuo eos suas, aliorumque iniurias non in iudicio, sed armis, ferro, spoliis, rapinis, igne, caedibusque fuisse profecutos, historia eorum temporum tristissimorum copiose docet. Non satis tamen mirari possumus, hoc aeuo molendina inuadere, ea-  
que

---

a) Conf. TACITVS de Moribus German. cap. 14. et in Annal. Lib. XV. cap. I.

b) POMPON. MELA de Situ Orbis Lib. III.

c) De Ira Lib. I. cap. II.



que destruere, execrandum, detestabile, legibusque aduersum iudicatum fuisse. Etenim de Pace Dei, sanctitate atque inuiolabilitate molarum clarissimum perhibet testimonium non modo ΕΡΚΟ Α ΡΕΡΚΑΥ in IVRE PROVINCIALI SAX. Lib. II. Artic. 66. verbis: *Nun vernembt umb den alten Fried, den die Keyserliche Gewalt gegeben und bestetiget hat dem Land zu Sachsen mit der guten Leut Willigung und Willkör des Landes — Kirchen und Kirchböffe, und jeglich Dorf inwendig seinen Gräben und Zäunen, Pflug und MÜHLEN und des Königs Straßen in Wasser und in Felden, die sollen steten Fried haben und alle die darein und darauf kommen, sed et compiler IVRIS ALEMANNICI cap. 192 d). Pflug und MÜHLEN dieß soll alles steten Fried haben. Securitas molarum deinde et in PVBLICA PACIS SANC-TIONE de an. 1351. a CAROLO IV. Imperatore his: *Wir wollen auch vor allen Dingen, so der Landfriede uszoget, daß Klöster, Kirchen, MÜHLEN und Pflüge sonderlichen Frieden haben, und daß die niemand ergreiffe, leidige noch schädige und zuwider thäte, et in PACE PVBLICA de an. 1389. §. 12. a successore WENCESLAO Imp. daß vor allen Dingen — MÜHLEN — sicher sin und Frieden haben e), fuit stabilita et confirmata.**

B 3

§. VI.


d) Edit. BERGER. pag. 290.

e) De vtrisque et CAROLI et WENCESLAI sanctionibus vide DAT-TIVM de Pace Imperii Publica Lib. I. cap. XVI. num. 46. seqq. pag. mea 124. seq.

## §. VI.

ISTA QVOQVE EX LEGIBVS IMPERII ROM. GERM. A MILITIBVS TEMPORE BELLII NON SVNT VIOLANDA ATQVE DESTRVENDA.

Qua ratione Themis molendina pacis tempore a maleuolorum insultibus secura esse voluerit, haecenus vidimus, iam, quibus legibus inter medios irati Martis strepitus eorum securitati prospexerit, consideremus. Cum officia quaedam etiam aduersus eos seruanda sint, a quibus iniuriam accepimus, siquidem ex CICERONIS <sup>a)</sup> sententia vlciscendi ac puniendi sit modus, et crudeles SENECA <sup>b)</sup> eos appellet, qui, cum belli causam habeant, modum non obseruent, legislatores, quos Germania tulit, prudentissimi modum, tum circa hominum caedes, tum circa rerum vastationes atque depopulationes, seruandum esse dixerunt, atque milites quoque a molarum euerfione, aut destructione, sub poenae iusto grauioris comminatione, non habito discrimine, an in hostico, an in alio commorantur, arcuerunt. Notatu prae ceteris digna sunt MAXIMILIANI <sup>c)</sup> sapientissima placita, quae materiem de disciplina, quam milites obseruare debent, praeclare illustrent: *Item es soll auch keiner keinen Pflug berauben noch*  
MÜHLEN,



a) De Offic. Lib. I.

b) De Clement. Lib. II. cap. IIII.

c) In der Reuterbestallung de anno 1570. Art. 69. in CORP. RECESS. IMPER. pag. 794.

*MÜHLEN, Backöfen, noch was zu gemeiner Nothdurfft dienstlich ist, es sey Freunden, oder Feinden zuständig, ohne Erlaubniß beschädigen, und zerbrechen, — noch kein Wein, Korn oder Mehl muthwilliger Weise auslaufen lassen, verderben, oder zu Schaden bringen bey Leibesstrafe. Huic Caesareo iussui accurate respondent LL. militares FERDINANDI III. LEOPOLDI aliorumque Imperatorum et quae tam CIRCVLI RHENANI SVPERIORIS, quam SAXONIAE SVPERIORIS ET INFERIORIS ORDINES praeterito seculo de molendinorum inuiolabilitate sanxerunt, et a LÜNIGIO in Corpore Iuris Militaris late, copioseque sunt exposita.*

## §. VII.


NEC ILLA EX IVRE SAXONICO  
A. MILITIBVS SVNT VA-  
STANDA.

Quem ad modum quoque omnes Imperii Germanici Proceres potestatem suam non alia magis, quam salutis subditorum tuendae, gloria illustrarunt, et, vt ciues perpetua rerum inconcussarum dulcedine perfruantur, allaborarunt, sic et diuersis sanctionibus militaribus quouis tempore molendinorum securitati consuluerunt. Ita nobis mirum, cum SERENISSIMI ELECTORES SAXONIAE, multis fortibus factis, gloriaque militari illustres, prouincias suas optimis adornarint institutis, securitatemque in republica quam maxime promouerint, non videbitur, si molarum violationes copiis, quas aluerunt, nunquam non sapienter interdixerunt. DIVVS IOHAN.  
GEOR-

XVI DE DELICTIS MOLARIBVS

GEORGIVS in *Articulis Militaribus* d.d. 5. Iunii 1631. §. 31. <sup>a)</sup> hac vsus est formula: - *Es soll keiner, mer da wü-  
re, die MÜHLEN oder MÜHLENWERK in Freundes Lan-  
den, bey Lebensströffe, zu verderben und zu verwüsten sich unter-  
stehen.* His legibus militaribus respondent et illae, quae a  
CELSISSIMO IOHANNE GEORGIO II. in der  
*Reuterbestallung* d.d. 9. Iunii 1664. §. 22. <sup>b)</sup> sunt latae: *Ihr  
sollet keine Pflüge berauben, noch auch MÜHLEN, Backöfen,  
und was zu gemeiner Nothdurfft dienlich ist, es sey Freunden  
oder Feinden zuständig, ohne Erlaubniß beschädigen oder zer-  
brechen — bey Leibesstrafe.* Harum sanctionum tenori mi-  
rum consoni sunt IOHANNIS GEORGII III. *Arti-  
culi Militares* d.d. 30. Decembr. 1680. §. 19. <sup>c)</sup> et FRIDE-  
RICI AVGVSTI II. REGIS POLON. d.d. 1. Nou.  
1697. §. 19 <sup>d)</sup>. Seria tandem voluntas molas incolumes  
seruandi, et poena capitalis, qua milites, qui eas inua-  
dunt, aut destruunt, in continenti afficiantur, luculentif-  
sime apparet ex ORDRE d. 2. Nouembr. 1741. §. 3. <sup>e)</sup>  
verbis: *Daß woferne sich jemand von der Miliz an publicquen  
Gebäuden, Kirchen - MÜHLEN, Backöfen — vergreiffen — rui-  
niren — destruiren und sich aufs marodiren legen würde, der-  
selbe auf der Stelle, wo er ertappet und ergriffen wird, ohne  
alle Barmherzigkeit, an den nachsten Baum aufgebenket wer-  
den soll.*

§. VIII.



- <sup>a)</sup> In COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1987.  
<sup>b)</sup> In COD. AVGVST. Tom. I. pag. 2027.  
<sup>c)</sup> In COD. AVGVST. Tom. I. pag. 2037. et 2052.  
<sup>d)</sup> In COD. AVGVST. Tom. I. pag. 2082. 2085. 2095. 2131. et 2137.  
<sup>e)</sup> Vid. HOFFMANNI *Codicem Legum Militarium Saxonicum* Lib. II. cap. 2.  
 pag. 372.

## §. VIII.

HINC, NE ARS MOLITORIA A MILITE IMPEDIATUR, MOLENDINA A IVRE METATORVM SVNT IMMVNIA.

Ne quoque res molitoria publico et ciuitati necessaria atque utilis impediatur, molentes, nec non molitores, a milite turbentur, ipsique machinae molari, quae non raro, vt iure Baiuuariorum secundum antec. §. 2. aedificiis publicis annumeratur, ab eo damnum inferatur, molendinis immunitas a metatis i. e. militum receptione atque hospicio ita est concessa, vt ne quidem loco eius pecunia exigi queat <sup>a)</sup>. Vt dubium vero ea propter ne relinquamus animum, exhibemus tenorem sanctionis GENERALIS MAXIMILIANI II. IMP. d.d. 16. April. 1565 <sup>b)</sup>: *So ist hierauf Unser gnædigster auch ernstlicher Befehl*

---


a) Conf. TABOR Tract. de Metatis Part. III. cap. III. Art. 2. num. 7. et GVIL. HIER. SOEMMERING in Disp. de Immunitate metatoria reali §. 19. seq. Quamuis quoque a lapidibus molaribus in Saxonia vestigal non vterius soluatur, vi RESOL. GRAV. de an. 1661. TIT. von Iustitien-Sachen §. 73. et GELEITS-ORDN. de an. 1660. lit. m. COD. AVGVST. Tom. II. pag. III7. possessores tamen molarum etiam nouiter exstructarum ad sustentationem ministrorum ecclesiae ob ORD. ECCL. SAX. Art. General. XXII. et DECRET. SYNODAL. REVIS. §. 63. nec non ad ordinaria tributa conferre tenentur MANDAT. de anno 1563. COD. AVGVST. Tom. II. pag. 715.

b) In COD. AVSTRIAC. Tom. II. pag. 17.

XVIII DE DELICTIS MOLARIBVS

fehl an euch, und wollen, daß ihr euch in die MÜHLEN keinesweges begeben, noch eure untergebene Kriegsleute dahin zu logiren verschaffet, sondern derselben gänzlich enthaltet. Quod deinde in ORDINAT. CAESAR. MILIT. d.d. 29. Nou. 1640. §. als erstlich verhis: soll keinen weder hohen noch niedrigen Officirer vergænnet seyn — die Klæster, Kirchen — MÜHLEN — mit eigentbætlichen Einquartier- und Schatzung, noch in andere Wege zu beschweren und zu belæstigen, de nouo inculcatum. Eadem deprehendimus in Legibus nostris Saxonis, praesertim in EDICTO ELECT. d.d. 3. Mart. 1635 <sup>c)</sup>: Die MÜHLEN in Ihrer Churfürstl. Durchl. Landen sollen von denen Quartiermeistern und Fourirn gänzlich in Ruhe gelassen, und keinesweges geschätzt, oder, was solchergestalt erpresset, nebst vorbehaltner Straffe an der Verpflegung wieder abgerechnet werden. Cui iungere possumus ORDONNANZ IOH. GEORG. I. d.d. 1. Sept. 1646 <sup>d)</sup>: So sollen sich auch keiner unterwinden, auf die Schmiede und MÜHLEN absonderliche Schatzung zu legen. Tandem indulgentiam Serenissimorum Principum Saxonorum, non satis hac in re demirari possumus, cum et famulis in molendinis actu feruientibus, denen in Arbeit stehenden Mühlknappen, priuilegium concefferint, vt a militia sint immunes, nec inuiti ad signa rapi queant <sup>e)</sup>.

§. IX.



<sup>c)</sup> COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1993.

<sup>d)</sup> COD. AVGVST. Tom. I. pag. 2001.

<sup>e)</sup> Vid. in Saxon. ORDONNANZ de an. 1752. cap. VIII. num. 77. in CONT. COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1181. Et EDICT. d.d. 24. Decembr. 1767. cum Adiect. num. 13. CONT. COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1240.

## §. IX.

QVA RATIONE MOLITOR IN VICI-  
NVM MOLITOREM POSSIT ESSE  
INIVRIOSVS ATQVE DA-  
MNOSVS.

Qua ratione ab extraneis damna molis inferri queant, eorumque reparatio facienda sit, ex iure prisco Germanico §. IIII. anteced. enucleauimus, cum vero haec doctrina, si recentiora iura cum antiquis arcte coniungimus, suauitate se praeclare commendat, non moramur, quibus modis vicini molitores, molentes et reliqui incolae et accolae in molarum possessores possint esse iniuriosi et damnosi, damnaque data sint perfequenda et vlciscenda, ex recentioribus et maxime Saxonis LL. et ordinationibus Molinaribus, quatenus fines Disputationis permittunt, demonstrare. Quem ad modum molarum possessores, cum libertatem molas in loco quodam aedificandi prohibitione sua et subsecuta alterius acquiescentia per legitimum tempus praescripserunt <sup>a)</sup>, aut, ne intra certum locum molendinum extruatur, priuilegium Principis impetrarunt <sup>b)</sup>, ab aliis, qui nouas moletrinas nunc aedificant, in exercitio molendi admodum turbantur, ita quoque haud dubitandum, quin isti, cum nouae ex sola aemulatione, animo non commodum quaerendi, sed tantum

C 2


nocen-

---

<sup>a)</sup> ILL. HOMMEL in Rhapsod. Jur. Obs. XXXIII.

<sup>b)</sup> LEYSER in Iur. Georgic. Lib. II, cap. 15. §. 48. et TITIVS in Iure Priuat. Lib. VIII, cap. 16 §. 7.

nocendi <sup>c)</sup>, aut, si possessores electoralium molarum Saxonicarum, iure bannario gaudentes, sunt, absque Principis consensu <sup>d)</sup> construantur, ius contradicendi habeant. Praesertim vero molendinorum aquaticorum domini iustam querendi, agendique causam prae se ferunt, si aedificando, nouando atque immutando actuale, positium et emergens a vicino molitore superiore, inferioreue damnum sentiunt. Vt si machina molaris ad modum in legibus molendinariis praescriptis non praeparetur, vel falsi quid circa eius exstructionem admittatur, si nouo opere aquae cursus et ductus augeatur, aut minuatur, ut ad superioris molendini rotas aqua restagnet et reuerberet, aut a superiori molitore sine causa aqua retineatur, aut mutatione fossae, riui, alueique fluminis aqua diminuatur, et ita tam ob aquae repercussionem, quam ob eius penuriam non exiguum iis inferatur detrimentum. Hinc ratio arboris molaris *des Fachbaums*, et pali molendinarius *des Mabl- und Webrpfahls* maxime est habenda, utrasque trabes recte et modis in Legibus praescriptis collocandas, et positas sancte et inuiolabiliter custodiendas, easque pro suo cuiusuis arbitrato haud mutandas, proscindendas, falsandas, aut alio quocunque modo, sub poena exclusionis ab opificio molitorio, et 500. aut 300.



<sup>c)</sup> Quod raro tamen obueniet, vide ILL. HOMMEL. in Rhaps. Iur. Obs. CCXVI. Add. CHR. THOMASIVS in Disp. *Non-ens actionis forensis contra aedificantem ex aemulatione*, Hal. 1703.

<sup>d)</sup> Conf. ORDINAT. MOLEND. SAX. de an. 1661. COD. AVGVST. Tom. II. pag. 738. et RESCRIPT. d. d. 13. Decembr. 1742. CONT. COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1537.



300. florenorum, transformandas esse, copiose exponunt  
ORDINATIONES MOLEND. SAX. de an. 1568. §. 2.  
seqq. et de an. 1653. §. 8. seqq. <sup>e)</sup>

## §. X.

AN POENA IN ORDINAT. MOLIN.  
DE ANNO MDLXVIII. ET MDCLIII. AD  
ALIA MOLENDINA POSSIT  
COMMUNE EXTENDI.

**V**trum vero laudata Saxonica dispositio de multa 500.  
aut 300. flor. in temerarios nouatores ac falsarios et  
arboris molaris et pali molendinarii constituta ad alias mo-  
las commode extendi et proferri possit, et olim, et adhuc  
hodie disceptatur. Quaestionem propositam negant b.  
BERGER <sup>a)</sup> et ILL. HOMMELIVS <sup>b)</sup> atque ILL. WINCK-  
LER <sup>c)</sup>, e contrario eam affirmant BERLICH <sup>d)</sup> et LEY-

C 3

SER

---

<sup>e)</sup> In CODICE AVGVST. Tom. II. pag. 717. et 729. seq. Cum quibus  
conuenit ORDINAT. MOLEND. MARTISB. de an. 1670. §. 1. seq.  
Falsa vero circa utrosque palos obuentionia paulo mitius punit ORDINA-  
TIO PROVINC. ALTENBURG. Tit. XXXII. §. *Es soll kein Mühlherr etc.*  
et ORDINAT. POLIT. MAGDEBURG. de an. 1688. cap. XII. §. 18.  
et 19. Add. 10. MATTH. BILERI Disp. *de Arbore et Palo molinario*,  
Erf. 1680. 10. GEORG. LIEBKNECHT Disp. *de eo, quod circa palos  
terminales aquarum et malendinorum, vulgo Sicher- und Heegpfähle ex arte  
cognitu necessarium est.* Giess. 1728.

<sup>a)</sup> In Oec. Iur. Lib. II. Tit. I. Th. 5. not. 4.

<sup>b)</sup> In Rhapsod. Iur. Obs. CCXVI.

<sup>c)</sup> Ad BERGERI Oec. Iur. l. c. pag. 157.

<sup>d)</sup> In Decif. 176. Part. II.

XXII DE DELICTIS MOLARIBVS

SER <sup>e)</sup>. Illi sententiam suam his corroborare student argumentis, dicentes, quod singulae adductae ordinationes molinares non sint vniuersales, sed, vt Rubrum earum doceat, ad specialia flumina, Salam, Luppam, Elyster. Plissam et Vnstrut. tantum spectent, alii his addunt, vt huic negotio multo conuenientius statuatur, poenam 10. 20. 40. 50. 60. 100. vsque ad 500. flor. pro magnitudine molendini, doli, et damni iam dati et adhuc futuri, ex arbitratu iudicis, molitoribus dictitari. Hi contra, diuersitatem fluminum et magnitudinis molendinorum hic non inducere iurium diuersitatem, cum maius et minus non varient speciem, et ratio sanctionum, ne scilicet proprii lucri studio damnum vicinis molendinis adferatur, in paruis aequae ac magnis fluminibus atque moletrinis obtineat, deinde gradum doli hac in re commissi a peritissimis rerum molitoriarum, ob varias, quas molitores adhibent calliditates atque fallacias, nec non excusationes, quas proferunt, satis speciosas, imo difficultates, quae ex profunditate aquae, fluminisque rapacitate saepe oriuntur, vt interdum dolosa palorum positio, eorumque subsequens deprauatio non nisi post totalem deriuationem aquae a molendinorum fundamentis animaduerti possit, nec semper satis accurate detegi et indicari, nec damnum iam datum, infectumque certo determinari posse, tum leuiorem poenam molitores, ad frequentiora falsa, quibus studere solent, committenda, inuitare, meliori, fortiorique iure autumant.

§. XI.

---

<sup>e)</sup> In Iure Georg. Lib. III. cap. XV. §. 58.

## §. XI.

RECENSENTVR ALII MODI, QVIBVS  
MOLITORES IN VICINOS MOLITORES  
POSSINT DELINQVERE.

**P**raeterea molitores delinquunt in vicinos molarum possessores, si frumenta eorum, qui ad molendina bannaria sunt adstricti, molenda recipiunt. In ORDINAT. MOLEND. SAX. de an. 1661. de poena ita disponitur <sup>a)</sup>: *So sollen auch die verbotenen Landmüller von jedem Scheffel Getreyde, oder Mehl, so unsern Müblgästen zuständig, und in ihren Mühlen, oder auf den Strassen angetroffen wird, ein silbern Schock Strafe in unser Amt jedesmal unnachlässlich entrichten, et in ORDINAT. MOLEND. COLDIC. de an. 1766. §. 70. verbis <sup>b)</sup>: Daß diejenigen Land- und Priuatmüller, welche einen gezwungenen Müblgast, unter welcherley Vorwand es auch geschebe, mit seinem Getreyde auf ihren Mühlen aufnehmen, jedesmahl, so bald sie dessen überwiesen worden, um ZEHEN Thaler, bey dem Amte Colditz, unnachlässlich bestrafet, und überdieß annoch dem Denuncianten 16. gl. zu reichen angehalten werden.* Tandem molitores, si molentes sollicitent, ne in alio molendino, quam ipsius molent, poena 10. florenorum afficiendos

---

<sup>a)</sup> In COD. AVGVST. Tom. II. pag. 739. Add. PETR. MÜLLER. Disp. de Molendinis et in specie Bannariis, Ien. 1678. IO. GVIL. WALDSCHMIDT de Molendinis Bannariis, Marb. 1718. Nec non TOB. IAC. REINHARDTI Disp. de eo, quod circa molendinorum exstructionem atque bannum inprimis in terris electoralibus Brunsvico-Luneburg. iustum est, Goetting. 1740.

<sup>b)</sup> In CONT. CODIC. AVGVST. Tom. I. pag. 1579.



2. thlr. 12. gross. coercentur mulcta. Eadem in IVRE MOLEND. COLDICENSI statuta frumenti confiscatio et mulcta imminet iis, qui maiorem quantitatem frumenti indicarunt, ac re vera in molam intulerunt, aut plus intulerunt, quam indicarunt. Ita et ORDINATIO COLDICENSIS MOLEND. de an. 1766. accuratissime determinat reliquas molentium poenas, et v. c. si vilius frumentum molitori, vt molarium suum sumat, offerunt, confiscationem totius frumenti §. 64. dicitur; item eos, qui molitoribus, aut aliis in mola quid abstulerunt, praeter rei ablatae restitutionem V. Thaler. quolibet casu plectit, et si non habet in aere, per 14. dies ad opera publica §. 54. condemnat <sup>c)</sup>, porro si faciunt incircinatio, vt molae fiat circinatio, *wenn sie die Mühle stellen*, mulcta X. Thaler. §. 49. afficit, nec non si molitores iniuriis agitant, triginta grossis §. 58. punit. Tandem, qua ratione in molentes animaduertatur, si frumentum nimis humidum ac madidum in infundibulum *Rumpf* immittant, aut lignea bractea rotundata, quibus lapides molares includuntur, *den Laufft* tundendo, pulsandoue, aut negligentia sua molendinariis, tam in moletrina, quam in farina iis debita, damnum inferant, omnium optime iterum declarat ORDINAT. MOLIN. SAX. COLDIC. de

---

c) Add. EXTRACT aus dem, zu Errichtung neuer Mühlen Pachicontraete entworfenen und gnädigst approbirten Formular, die Stadt Dresden betreffend, d.d. 26 Mart. 1765. §. 35. CONT. COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1547.

de an. 1766. §. 41. verbis: *Es sollen auch, wenn ein Mabl-  
gast allzu sehr genetztes Getreyde aufschüttet, und dadurch die  
Mühle verteuet, dem Müller auf jeden dergleichen Fall VIER  
Groschen unnachbleibend bezahlet werden. Et §. 47. Wenn  
ferner ein Mablgest, nachdem sein Getrayde bald abgemahlen, an  
den Laufft mit Füßen und Händen stößet, oder mit einem Stock  
daran schläget, und sonst die Mehlbahn aufrühret, so wird er  
wegen dieses Frevels um 2. thlr. 12. gl. bestrafet, auch ihm das  
vorbandene Mehl, oder Getrayde, nicht eber, als nach dessen Er-  
legung, verabfolget. Item §. 50. So ein Mablgest aus Unbe-  
dachtsamkeit die Mühle leer geben ließe, so ist er solchen Falls  
dem Müller jedesmahl 12. gl. zu erlegen, gehalten. Vt alia  
omittamus delicta ab iis perpetrata, eorumque poenas  
ibi fancitas.*

## §. XIII.

DE DELICTIS VICINORVM, QVI AEDI-  
FICANDO, INNOVANDO ET MVTAN-  
DO MOLIS AQUATICIS DAMNA  
INFERVNT, EORVMQVE  
POENIS.

**T**andem sicut omnes in fluminibus innouationes at-  
que opera manu facta, quoties Respublica et agro-  
rum adiacentium domini exinde insigne sentiunt detri-  
mentum, prohibita sunt, et accolentes in iudicio inter-  
dicto, ne quid in flumine publico, ripae eius fiat, quo  
aliter aqua fluat, atque vti priori aestate fluxit, experiri  
possunt

possunt <sup>a)</sup>, ita quoque molendinorum detentores non leue patiuntur damnum, si accolae in flumina, riuosue molares inaedificant, et imponendo, deiiciendo atque efodiendo impediunt, quo minus aqua ad molam cum impetu decurrat, aut alueus conseruetur pristinus, imo ipsi machinae molari, eiusque rotis magna contrahatur iactura. Quare in diuersis Legibus et Ordinationibus Molendinariis saluberrime prouisum, ne linum, aut canabum in flumina molaria sub amissione lini, aut canabi et multa X. Florenorum immittatur <sup>b)</sup>, ne cerdones coriis, piscatores palos in flumina, riuosue infigentes retibus flumina obstruant <sup>c)</sup>, praesertim ne fruticeta et virgeta quaeuis in ea coniciantur, egregie constituit ORDINATIO SAX. COLDICENSIS de an. 1766. §. 13. <sup>d)</sup> his: *In den Mühlgraben soll von denen angränzenden Haus- und Gartenbesitzern, auch sonst von niemand, einiges Gesträude, Kebricht, Späbne, Abraum aus denen Gärten, oder anderer Unrath, geworfen werden, und sollen diejenigen, so dem entgegen handeln, so bald sie dessen überführet, jedesmahl vom Amte um 30. gl. bestrafet werden.* Ita quoque, ne salices et frutices in ripas eorum implantentur, praecipit ORDINAT.

D 2

MOLIN.

<sup>a)</sup> Conf. L. I. § 3. D. ne quid in flumine publico ripae fiat. WERNHER. in Sel. Obseru. Forens. Part. V. Obs. 139. ILL. HOMMEL. in Rhaps. iur. Obs. CCXXXI.

<sup>b)</sup> Vid. ORDINAT. SAX. PISCAT. de an. 1657. §. 14. COD. AVGVST. Tom. II. pag. 676. et de an. 1711. §. 20. COD. AVGVST. Tom. II. pag. 692.

<sup>c)</sup> ORDINAT. SAX. PISCAT. de an. 1711. §. 28. COD. AVGVST. Tom. II. pag. 693.

<sup>d)</sup> In CONT. COD. AVGVST. Tom. I. pag. 1568. seq. Add. ORD. PROV. ALTENBURG. Tit. XXXII. §. *Es sollen auch die Mühlengraben.*

## XXVIII DE DELICTIS MOLARIBVS

MOLIN. SAX. de an. 1653. §. I. e) verbis: *Auch keine Weiden noch Büsche in die Ufer, dadurch solch Maaß geengert, zu pflanzen niemands verstattet werden. Da aber solches von einem, oder mehrern, überschritten, soll der nechste Müller, dem solche Weiden und Anlagen eine Stauchung geben, durch eines jeden Orths Obrigkeit Hülffe abzuschaffen, oder selbst abzubauen, Macht haben.* Denique quam noxiae aquae ex flumine molari in agros, prataque accolentium, ea irrigandi gratia, et piscationi et rei molitoriae sint vernali maxime tempore a priuatis susceptae deriuationes, quilibet facile intelliget. Hinc merito haec noua opera prohibentur in ORDINAT. PISCAT. SAX. de an. 1711. §. 20 f).

### §. XIII.

## RECENSENTVR ALIQVI CALLIDI MODI MOLITORVM, MOLENTES DEFRAVDANDI.

**P**rogressiendum nunc est ad molitorum delicta, eorumque praesertim modos defraudandi, quibus, mercede statuta haud contenti, molentium bona dolo malo sibi conciliant. Sunt isti fere innumerabiles, et saepe callidissime excogitati, eorumque catalogum satis longum exhibet GEORG. PAUL. HOENN. in dem Betrugs-Lexico pag. 307. seqq. et si noua libri curanda esset editio, caput de molitoribus

---

e) In CODICE AVGVST. Tom. II. pag. 729

f) In CODICE AVGVST. Tom. II. pag. 693.



toribus valde ampliari et locupletari posse, nos non habebit dissentientes. Fallacias et machinationes ingeniosas ac latentes, quas molendinarii saepe adhibent, maiores nostros iam animaduertisse, declarant facetiae ac falsae paroemiae: *Der Müller ist fromm, der Haare auf den Zähnen (auf der Zung und in der Hand) hat, nec non in der Mühle ist das Beste, daß die Säcke nicht reden können*, et quae sunt aliae tam ab HERTIO in Paroem. Iuris Lib. I. Par. 13. quam EISENHARTO in *teutsch. Sprichwort.* Lib. II. cap. 6. copiosius expositae. Interim tamen leuis notae maculam, quae olim toti molitorum ordini ob frequentes deceptiones inhaerebat, vt teste monacho Sangallense, rerum Caroli M. scriptore Lib. I. cap. 8. nemo eorum vna cum filiis ad honores ecclesiasticos, mercaturam et alia opificia honesta admitteretur, sequiori tempore in Germania et Saxonia sublatam fuisse, fusius demonstrant RECESSVS IMPERII de an. 1548. Tit. 37. *Von den Handwerckslehren, Gefellen, Knechten und Lehrknaben*, item de an. 1577. Tit. 38. MANDAT. CAESAR. de an. 1731. nec non ORDINAT. POLIT. SAXON. de an. 1661. Tit. XXI. §. 4. MEVIUS Part. V. Decis. 116. BERGER in Oec. Iur. Lib. I. Tit. II. Thes. 13. not. 7. Caeteris fraudibus haec specimina sunt, si machinam molarem ita instruunt, vt nimia sese velocitate voluat, qua aer ita mouetur, vt subtiliores, ideoque optumae farinae particulae tollantur, circa molinam quoquo versum proiiciantur, eaeque molendinario acquirantur; aut si, vbi secundum stateram molarem farina ponderanda, restituendaque est, praecipuam farinae partem contrectant, e contrario arenosam et ponderosam immiscent; nec non, si in locum candidae farinae, quae per saxa molaria secunda vice profertur, viliolem, et saepe ex alio frumenti genere com-

paratam substituunt <sup>a)</sup>; porro modio, publico sigillo haud corroborato et falso, in metiendis frumentis dolose vtuntur, aut stateram molarem, pondusue adulterantur; praeterea ferream subcudem non accurate custodiunt, aut receptaculum, in quod farina ex incerniculo cadit, ruinosum, aut vela lintea pro hoc receptaculo pendentia lacerata, aut fenestras et ianuas molendini fractas, vt aer farinam dissipet <sup>b)</sup>, et sic lucrandi gratia non reparant, item si pecoribus, suibus, galinis, annatibusue aditum ad molendinum aperiunt, quo frumento, furfure, aut farina molentium pascantur <sup>c)</sup>, tandem lignea braëtea rotundata, quibus saxa includuntur, furfure non rite explent, aut, vt ea praescripto magis a saxis distent, faciunt, aut lapides molares praeparatos annona molentium extraneorum poliunt, et ex iis fallaciis lucrum turpe atque iniustum quaerunt.

## §. XV.

DE POENIS DEFRAVDATIONVM,  
QVIBVS MOLITORES COER-  
CENTVR.

Poenae, quibus eiusmodi defraudationes ac falsa vindicantur, pro diuersitate regionum, magnitudine damni dati, gradu malitiae, aut culpa, prout molendinarii iu-  
reiu-

---

a) Conf. ORDINAT. MOLEND. COLDIC. SAX. de an. 1766. §. 22.

b) Vid. ORDINAT. MOLENDIN. SAX. de an. 1561. §. *Es sollen auch be-  
rürte Müller etc.* CODIC. AVGVST. Tom. II. pag. 714. Et ORDIN.  
MOLEND. COLDIC. de an. 1766 §. 19. Add. ORDINAT. MOLEND.  
NORIBERG. §. I. item VLMENS. de an. 1624. Art. X.

c) ORDINAT. MOLEND. SAX. de an. 1561. §. *Es sollen auch die Mül-  
lere.* CODIC. AVGVST. Tom. II. pag. 714.

reiurando sunt obstricti, aut non, ad modum variant.  
 ORDINAT. MOLEND. COLDIC. SAX. de an. 1766.  
 §. 21. hac de re ita disponit <sup>a)</sup>: *Wird der Müller einer  
 begangenen Untreue überwiesen, so wird er das erstemahl um  
 10. thlr. nebst dem Ersatz des Entwendeten, bestrafet, das zwey-  
 temahl aber noch überdieß, mit vierwöchentlicher Gefängniß bele-  
 get, und so es zum drittenmahl geschehen sollte, so erfolget alsbald  
 die Cassation des Pachts, oder Administration, mit dem Verlust der  
 Caution.* De famulis vero molendinariis in EADEM ORD.  
 MOLEND. §. 23. hisce: *So ein Mühlenofficiante einem Mahl-  
 gast etwas entwenden, oder sonst demselben zum Nachtheil etwas  
 verbängen mächte, so wird derselbe zwar vor seine Person, davor  
 jedesmahl auf das nachdrücklichste bestrafet, der Müller aber, der  
 vor seine Leute zu stehen hat, wird sofort zum doppelten Ersatz vor  
 den Mahlgast angehalten, und ist nach Befinden derer Umstände, be-  
 sonders wenn über die untreuen Mühlenofficianten schon vor dem Kla-  
 ge geführet worden, um deswillen, daß er auf die Seinigen nicht bes-  
 ser Acht hat, dem Amte in eine Strafe von 2. thlr. 12. gl. verfallen.*  
 Nec est dubitandum, quin molitores, cum praesertim iu-  
 reiurando ad Constitutionem de rebus concreditis vom an-  
 vertrauten Gutb legitime fuerint obstricti <sup>b)</sup>, quod, vt vbi-  
 uis fiat, omnino optandum, poena corporis afflictiva, quid  
 quod suspendio, pro quantitate damni dati, possint affici.  
 Iam olim an. 1615. ad requisitionem praefecti Plauensis,  
 Scabini Lipsiensis poenam suspendii molitori infideli ac  
 fraudulento secundum CONSTITUTIONEM ELECT. 41.  
 Part. IIII. indicere non dubitarunt, vti formulam senten-  
 tiae exhibet CARPZOV. in Iurisprud. Criminal. Quaest. 85.  
 num. 45. Add. MYLERI Metrologia cap. XVII. §. II.

§. XVI.

a) CONT. CODIC. AVGVST. Tom. I. pag. 1570.

b) Consuli in Saxonia merentur CONSTIT. ELECT. 41. Part. IIII. MAN-  
 DAT. Reg. d. d. 26 Sept. 1705. MANDAT. d. d. 17. Decembr. 1767.

## §. XVI.

DE DELICTO ET POENA MOLENDI-  
NARII, SI PRAESCRIPTVM IN  
MOLENDO NON OBSERVAT  
ORDINEM.

**P**raeterea molendinarii vehementer peccant, si inter molentes debitum non obseruant ordinem, et eos, qui frumentum in molam prius aduexerunt, in molendo postponunt. Iam IVS PROVINC. SAX. Lib. II. Art. 59. in fine praecipit: *Wer zuerst zu der Mühlen kommt, der soll zum ersten mahlen.* Quod et repetit iisdem verbis SPECVLVM ALEMANNICVM cap. 232. §. 2. edit. BERGER. pag. 264. nec non GLOSSA GERM. ad IVS FEVDAL. SAX. Art. II. Accuratusque definiunt ORDINAT. MOLAR. SAX. de an. 1568. 1613. 1653. et 1661. Omnium vero optime cum expressione poenarum et suis limitationibus id exponit ORDIN. COLDIC. SAX. de an. 1766. §. 42: *Der Müller soll zu jeder Zeit die Mahlgäste, wie sie mit Güthern zur Mühlen kommen, an die vorhandene Tafel anschreiben, und keinen um Gunst oder Geschenke willen, vor dem andern fördern; würde er, daß er dem entgegen gehandelt, überwiesen, so ist er in eine Strafe von 2. thlr. 12. gl. verfallen, der Metzner oder die Pursche aber, wenn sie gegen Empfang unerlaubter Trinckgelder, oder sonst einen Mahlgast dem andern ungebührlich vorgezogen, sollen jedesmahl um 20. gl. und überdieß annoch mit 4. Tage Gefängniß belegt werden, jedoch werden die Zwang-Mahlgäste denen Fremden zu aller Zeit vorgezogen, et §. 44. Hier nächst werden auch kleine Quantitäten Getreyde, zu einem halben und drey-viertel Scheffel, allezeit vorzüglich gefördert; wenn aber ein Mahlgast 1. Scheffel brächte, und stärker Quanten zu 4. bis 6. Scheffel schon auf der Mühle vorhanden, jedoch noch nicht vällig abgeschrotten waren, so wird, wenn davon die Hälfte, oder von noch grössern Vorräthen, ein Drittheil gefertigt worden, jener 1. Scheffel aufgeschüttet und abgemahlen. Regulam propositam: Prior tempore, potior iure, quoque in domino molendini pati exceptionem, defendit MYLER in Metrologia cap. XVII. §. 8. et FRIJSCH in Iure Fluuiat. P. III. pag. 44. Sed cum temporis breuitas et fines Disputationis vltiorem haud admittant disquisitionem, filum abrumpo, et alio tempore hanc de molitorum, eorumque famulorum diuersis delictis atque poenis materiam continuare promitto.*

